

**De oculo extirpatione : dissertatio anatomico-chirurgica, quam, Deo
juvante, & praeside M. Devilliers ... / tueri conabitur Joannes-Josephus
Girardeau, theseos auctor.**

Contributors

Girardeau, Jean Joseph.
Devilliers, Charles.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1786.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nk5r5yjm>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
OCULO EXTIRPANDO
*DISSE*R T A T I O
ANATOMICO-CHIRURGICA,

*QUAM, Deo Juvante, & Praeside M. DEVILLIERS,
Scholarum antiquo Preposito, tueri conabitur JOAN-
NES-JOSEPHUS GIRARDEAU, Parisiensis, in almâ
Facultate Parisiensi Artium Magister, Nosocomii
generalis in Domo dictâ la Salpêtrière Chirurgus
principuus, Theseos auctor.*

*Die Martis trigesimâ-primâ mensis Octobris, anno 1786, à se-
qui secundâ post meridiem ad septimam.*

P A R I S I I S ,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS:
PRO ACTU PUBLICO,

E T

SOLEMNI COOPTATIONE.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
Collegii, nec-non Academiæ Typographi, viâ Cithareâ.

M. D C C. LXXXVI.

ДЕ
ОБРАЗОВАНИЕ
ДЛЯ СЕРДЦА
АНАТОМИЧЕСКОЙ

Год, Дні, Місто, в якому, та чиєм
засновано П'ята, або п'ята
Із-за-Із-Із-Із-Із-Із-
Англійські П'ята, або п'ята
Засновано в Дні, в якому
п'ята, або п'ята


ПАРИСІЯ
ІН-РЕЧІС ЧІРУРГОРУМ СCHOOLІ
ФРО ВІГУ-ФАБІГО

ГОЛУМИ СОЛЛЯТІОНІ



Т. МІЧАЕЛІС ЛАМЕРТ, РЕДІ ГІМІІ
Collège, не-юн Академії Іллістії, Академії

М. DC. LXXXV.



D E
O C U L O E X T I R P A N D O
DISSERTATIO
ANATOMICO-CHIRURGICA

UT eximum nobis mirabile obtigit visus organum, quo sublato, tenebris addictum contabesceret quidquid spirat in terris; ita fatendum est nullum esse quod tam multis variorum morborum generibus, propter variam partium quibus constat naturam, singularemque dispositionem, pateat obnoxium: eos tantum in hoc programmate leviter persequemur, qui postulant ut oculi globus eruatur, praemissis quibusdam de illius anatomia.

E X A N A T O M I A.

Oculi globus, qui concavum orbitæ sinum obtinet, quemque

A

palpebræ, superior scilicet & inferior, hinc & indè obductæ contegunt, membranis constat seu tunicis, & humoribus, vasisque distinguitur & nervis. Triplex est in illo tunicarum genus, quarum aliæ ipsum globi folliculum efficiunt; aliæ adscitæ sunt & uni tantum ejusdem parti adhærentes: aliis denique quasi quibusdam capsulis humores includuntur. Tribus autem tunicis efformatur ipsemet folliculus; externâ, quæ sclerotica aut cornea; mediâ, quæ Choroïdea; tertiâ seu internâ, quæ retina nuncupatur.

Duæ sunt adscitæ tunicae; tendinea seu albuginea, undè oculi album exoritur; & conjunctiva.

Duæ pariter capsulariae; vitrea scilicet & crystallina.

Triplicem agnoscunt humorem, aqueum, vitreumque ac crystallinum: aquens hoc continetur spatio, quod inter partem tunicarum anteriorem intercedit; vitreus verò intra capsulam membranosa, sibique propriam inclusus, maximum spatiū obtinet; tertius denique seu crystallinus, nihil aliud quam matières quasi gummosa, cuius forma ad lentis modum exacta, & in posteriori magis quam in anteriori parte convexa, membranâ tegitur subtilissimâ, quæ & ipsa dicitur capsula crystallina.

Ferè omnes oculi partes suas ab ophtalmicâ arterias accipiunt; quæ quidem in multos dividitur ramos, quorum præcipui sunt arteria lacrymalis, ethmoïdalís posterior, ciliates, centralis retinæ, super-orbicularis, muscularis inferior, ethmoïdalís anterior, &c.

Vario admodum tenore diffunduntur venæ illis arteriis respondentes; quarum stirps præcipua ē sinu ophtalmico ducta, postquam retinæ venam centralem dedit, etkmoïdalemque posteriorem, & nonnullas ciliares, tunc in duos ramos, superioreum nempè, & inferiorem scindit.

5

Nervos autem, præter opticum, plurimos habet oculus, qui à motore communi & ab ophtalmico *Willhisi*, derivati, nervorum ciliarium nomine appellantur.

Suos à motore communi, à patethico, ab ophtalmico *Willhisi*, à motore externo, & à nonnullis maxillaris superioris ramis, nec non à duriori nervi auditorii ramo accipiunt musculi & palpebræ.

Musculi, qui sex annumerantur, suum à situ & ab usu quisque proprio nomen habent; undè quatuor dicuntur recti, & duo obliqui: inter rectos, aliis elevator, seu attollens, sive superbus; aliis deprimens sive humilis; aliis abducens, & aliis obducens nuncupatur.

His musculis sustinetur oculus ac moveretur. Pars globi posterior, nervus opticus & musculi molliori pinguedine, quæ imum orbitæ sinum penitus obtinet, circumfusi involvuntur.

E X C H I R U R G I A.

Exophthalmia, seu proptosis oculi, à quibusdam ex similitudine oculus bovinus vel elephantinus, status ille est præternaturalis, in quo globus oculi à suâ sede natali perturbatus, ex orbitæ cavo, partim vel penitus propellitur.

Causa ejus essentialis, quæ determinari potest à vi externâ, ictu nempè, compressione validiori, aut pravo medicamentorum usu, (2) pariter interior habetur, ut à stasi, vel humorum depravatione.

Intrà, vel extrà orbitam insidere valet, aut juxta lamellas osseas, quibus hujus cavi latera efformantur.

Exophthalmia, ac præsertim quæ ex eâ oriuntur mala, cum ingravescent, postulant aliquandò ut oculi globus eruatur. (1)

(1) Ut patet ex adnotationibus Domini St. Yves, in Comment. Academ. Reg. Chirurg. vol. v. pag. 169.

(2) De quo videri potest programma à Carolo Frid. Kalschmid, Collect. Disputation. Chirurgicar. ab Hailero, tom. i, pag. 543.

Gangrēna nec-non scirrhus oculi , ipsius extirpationem interdūm requirunt.

Fungi in orbitā concrecentes , quandōque erui oculum cogunt. (1)

Idem oculus extirpari debet , cùm inest tumor cancerosus (2).

Cancer eādem quoque səpiùs hanc operationem desiderat. (3)

Cùm non ea nobis mens sit ut de morbis differamus in quibus extirpari globum oculi necesse sit , sed de illā tantūm ratione quā debet extirpari , prætermissis methodis omnibus quæ à Veteribus inventæ sunt , dicemus methodum à Domino *Louis* præscriptam , cæteris omnibus longè potiorem esse. (4)

Ægro , inquit , aptè composito , oportet refecari vincula quibus oculi globus hæret ad palpebras , quod optimè præcepit *Hildanus* ; hæcque sectio , quam verè operationis prolusionem dixerimus , nullum sibi proprium vindicat instrumentum : majori verò vel minori arte fieri potest. Quod ad inferiorem partem attinet , satis erit si induxeris aciem instrumenti in angulum , aut , si ità dicere malueris , in sinum , quem conjunctiva membranaque interior palpebræ simul efficiunt. Nec omittendum est ligamen illud fixum quo musculus obliquus minor , ori orbitæ inferiori , versùs majorem canthum cohæret. Quod ad superiorem partem spectat , ità dirigenda est ejusdem iustrumenti

(1) Vide adnotaciones *Fabrici de Hilden* , quas Dom. *Louis* laudavit in suis Comment. Academ. Chirurg. tom. v.

(2) Vide collectionem posthumam medico-chirurgicam à D. *Job* , à *Méekren* , nec-non relat. D. *Muys* , vol. 5 , pag. 193.

(3) Sic adnotavit *Bartholin* , vol. v. 192. ne quis unquam tali utatur methodo.

(4) Loco citato.

acies, ut musculus palpebræ superioris elevator abscindatur, & mul & membrana quâ hæcce palpebra intus vestitut. Excisorio quo scalpro, à summo ad imum, versùs canthum interiorem leviter inducto, majoris obliqui tendo fecabitur.

Jam tum oculus anteriori orbitæ circumductioni non hæret. Id unum incubit, ut in imâ rescindantur orbitâ nervus opticus & musculi quibus circumdatur; idque facillimè persici potest unâ forficum incisione, quales tamen ejusmodi sectio postulat: (tales enim sint necesse est, ut pars plana laminatum sit incurvata.) Primò quidem minoris interesse videtur quânam parte forficum acies in imam orbitam inferatur. In statu naturali cùm obliqua sit orbitæ forma, cum globus oculi latera ejus interiora contingat, jubere videntur forfices per minorem potius canthum sic in orbitam inferri, ut pars laminarum concava ipsummet globum respiciat. Rursùs verò cùm oculus sæpè plus æquo protuberet ac diffundatur, cùm pinguedo tumescat, textus cellulosus mirum in modum scirrhis præcludatur, ac fungi ibi maximè concrescant, ubi minimam vim experiuntur, plerumquè evenit ut per minorem angulum via præ cæteris impediatur. Penès igitur Chirurgum sit curvas forfices in orbitam introducere quâ parte satius ipsi visum fuerit. Recisis autem musculis & optico nervo, forfices in se reductæ, quasi unci officio funguntur ad sublevandum extrinsecus oculum. Hoc est quod per cochleare secans *Bartisch* innuere videtur.

Operatio, si hoc modo fiat, simplex est, nemoque non inteligit capto sinistrâ manu oculo etiam nuac adhærente textui celluloso qui plus minusve extenditur, forficibus quas dextrâ tenes, folia quæ reluctantur, esse resecanda.

Hâc arte potest extirpari globus oculi quotiescumque morbus iis tantum partibus insidet, quibus illud organum constat. Si verò

accidat ut carcinomatose vegetationes formâ & crassitudine differant, aut etiam tumor idem carcinomatosis ipsas occupet palpebras, eâ tunc uteris methodo quam D. Guérin adhibuit. (1)

Perfectâ operatione, secundum artem exigenda est ægri curatio. Exteriores primò partes solidescunt & glutinantur. Coarctatur orbitæ cavus, cujus pars ima fungosâ repletur substantiâ; undè humor glutinosus diù stillat. Nonnunquam accidit ut, cùm jam ad finem vergit ægri curatio, in orbitæ fundo & duræ matris parte primitus læsâ concrescat fungus, qui brevi ingravescit, ægrum stimulat & pungit, febres accedit, & alia symptomata, quâm antè extirpatum carcinoma, multò infestiora secum importat. Is igitur, si tanto volueris succurrere periculo, statim ab ortu extirpandus est. Interdum etiam parotides aut aliæ glandulæ itâ morbiferis symptomatibus afficiuntur, ut æger languentem sub longâ morte trahat animam & ad ultimum deficiat.

Orbitæ autem fœditati oculo encaustico prothesis mederi potest, modò sit arte accommodatus, sincerumque oculum magnitudine, formâ, & colore omnino repræsentet: qui quidem majori minorive labore stabilietur, prout magis aut minus consuuerteris huic residuæ carnis parti, sine quâ non itâ succedere potest applicatio, quæ & ipsa vel cùm fit, vel cùm perfecta est, diligentem à Chirurgo curam desiderat.

(1) Antiquus Chirurg. Nosocomii Lugdunensis, quod *Domes Dei*, vol. v
Comment. Chirurg. pag. 205.

F I N I S.